

## MEDIEVAL INSTITUTE LATIN EXAM, FALL 2018

The exam consists of **three passages**.

The **first** is a passage for unaided translation, i. e., it must be translated without a dictionary or any other kind of aid.

In your translation of the **second** and **third** passages you may make use of **any instruments** you wish (dictionaries, grammar books, Latin Bible, etc.).

You will be allowed **three hours** for this exam.

Please write your translation on **lined paper**, skipping **every other line**, **numbering** the pages consecutively, and labeling each with your **exam number**; please leave **wide margins** and use only **one side** to facilitate photocopying!

☞ **You are not permitted to use a computer during the exam period.**

### **To pass the exam:**

- You must translate the **entire** passages (apart from possible minor omissions).
- The translation must show a good **overall understanding** of the text.
- The **syntactical structure** of the majority of single sentences must be correctly rendered.
- There should be very few grave errors in the translation of single **word-forms** (tense, number, case, etc.) per passage.

**Please produce an intelligible and grammatically correct English translation. If necessary, add a more literal translation in brackets or notes to show your understanding of the Latin text.**

**Procedure:** After each paper has been graded independently by the members of the MI Latin Exam Committee, the Committee will determine your final grade (**pass/fail**). You will be informed of the result by the Director of the Medieval Institute or the DGS of the Department of History.

**Please schedule an appointment with the Chair of the Committee ([hmuller@nd.edu](mailto:hmuller@nd.edu)) to discuss your exam paper!**

## PASSAGE NO 1: UNAIDED PASSAGE

### Thomas Aquinas, *Contra doctrinam retrahentium a religione* 1: Spiritual poverty and heretical attacks

Christianae religionis propositum in hoc praecipue videtur consistere, ut a terrenis homines revocet et spiritualibus faciat esse intentos. Hinc est quod auctor fidei et consummator Iesus, in hunc mundum veniens, saecularium rerum contemptum et facto et verbo suis fidelibus demonstravit. Nam in suae praedicationis exordio non aliqua regna terrena, sicut in veteri testamento, sed regnum caelorum  
5 paenitentibus repromisit. Discipulis primam beatitudinem in spiritu paupertate constituit, in qua etiam perfectionis iter esse monstravit, dicens quaerenti iuveni: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quae habes, et da pauperibus; et veni, sequere me*. Hanc viam eius discipuli sunt secuti, tamquam temporaliter nihil habentes, sed spirituali virtute omnia possidentes. Hoc autem tam pium tamque salubre studium  
10 diabolus, per homines carnales, inimicos crucis Christi, terrena sapientes, ab antiquis temporibus impedire non cessat. Ex horum numero insurrexerunt ab olim diversis quidem locis, sed pari vesania, Iovinianus Romae, Vigilantius in Gallia; quorum primus virginitati matrimonium, secundus paupertati divitum statum praesumpserunt aequare, evangelica et apostolica consilia reddentes inania. Unde insignis doctor Hieronymus utrumque eorum efficaciter confutavit.

- |       |                                   |                                                                          |
|-------|-----------------------------------|--------------------------------------------------------------------------|
| 2     | <i>consummator</i>                | fulfiller                                                                |
| 10    | <i>vesania</i>                    | madness                                                                  |
| 10sq. | <i>Iovinianus ... Vigilantius</i> | two heretics, against whom Jerome ( <i>Hieronymus</i> ) wrote treatises. |
| 6sq.  | Matthew 19:21                     |                                                                          |

## PASSAGE NO 2: FIRST AIDED PASSAGE

**Bede the Venerable, *Historia Ecclesiastica Gentis Anglorum* 1.15.1sq.: the Angles, Saxons and Jutes settle in England**

Tunc Anglorum sive Saxonum gens, invitata a rege praefato, Britanniam tribus longis navibus advehitur, et in orientali parte insulae locum manendi, quasi pro patria pugnatura, re autem vera hanc expugnatura, suscipit. Inito ergo certamine cum hostibus, qui ab aquilone ad aciem venerant, victoriam sumpsere Saxones. Quod ubi domi nuntiatum est, simul et insulae fertilitas ac segnitia Brettonum, mittitur confestim  
5 illo classis prolixior, armatorum ferens manum fortiorem, quae praemissae adiuncta cohorti invincibilem fecit exercitum. Susceperunt ergo, qui advenerant, donantibus Brittanis, locum habitationis inter eos, ea condicione, ut hi pro patriae pace et salute contra adversarios militarent, illi militantibus debita stipendia conferrent. Advenerant autem de tribus Germaniae populis fortioribus, id est Saxonibus, Anglis, Jutis. Duces fuisse perhibentur eorum primi duo fratres Hengist et Horsa; e quibus Horsa postea occisus in bello  
10 a Brettonibus, hactenus in orientalibus Cantiae partibus monumentum habet suo nomine insigne. Non mora ergo, confluentibus certatim in insulam gentium memoratarum catervis, grandescere populus coepit advenarum, ita ut ipsis quoque, qui eos advocaverant, indigenis essent terrori.

- |    |                        |                                                              |
|----|------------------------|--------------------------------------------------------------|
| 1  | <i>a rege praefato</i> | the three peoples were invited by the British King Vortigern |
| 4  | <i>Brettones</i>       | the British                                                  |
| 5  | <i>illo</i>            | adverb! = there, to that place                               |
| 10 | <i>Cantia</i>          | Kent (a county in Southeastern England)                      |

## PASSAGE NO 3: Second AIDED PASSAGE

### Walafrid Strabo, *Carmen LVI: A poem in praise of an unknown bishop*

- Vos laudant omnes, quos Francia gignit amoena,  
    Norica regna simul vos decorare student.  
Exultant iuvenes laetantes ac seniores  
    Pontificem egregium, Suevia quem genuit.
- 5 Si mihi centenas linguas natura pararet,  
    Oribus et totidem mille soni fierent,  
Carmina laude tui non possem dicere digna,  
    Nec sonitus vocis prendere cuncta valet.
- 10 Nobilitas generis cognoscitur omnibus horis,  
    Progenies clara vos generavit ovans.  
Corpore sat pulcher, mentis virtutibus altus,  
    Omnibus in rebus comptus es atque bonus.
- Tu clarus constas, tu lucidus optimus archos,  
    Nobilis in verbis, nobilior meritis.
- 15 Tu Phoebum superas, errantia sidera septem,  
    Hesperus ac pulcher te superare nequit.  
Moribus ornatus, fidei firmissimus auctor,  
    Tu speciosus enim totus ad usque pedes.
- 20 Nunc precor, ut valeas felix per climata mundi  
    Ac memor esse mei ne dubites famuli.

Note: the bishop is addressed sometimes in the singular (*tu*), sometimes in a plural of respect (*vos*).

- |                              |                                                                                                                                                  |
|------------------------------|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| 1 <i>Francia</i>             | Franconia, the homeland of the Franks                                                                                                            |
| 2 <i>Norica regna</i>        | here: the Duchy of Bavaria<br>(originally, Noricum was a Celtic kingdom that became a Roman province, in the area of modern Austria and Bavaria) |
| 4 <i>Suevia</i>              | Swabia, a region in southern Germany                                                                                                             |
| 13 <i>archos</i> (Gr. ἀρχός) | ruler                                                                                                                                            |
| 15 <i>errantia sidera</i>    | the planets                                                                                                                                      |
| 18 <i>ad usque</i>           | as far as, down to                                                                                                                               |
| 20 <i>climata</i>            | regions                                                                                                                                          |